



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

XXII. De Jure Episc. circa hospital.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

## CAP. XXII.

## De Jure Episcopi circa hospitalia.

## I.

**H**ospitalia generali vocabulo, domus religiosæ hodiernis Canonistis appellantur, & varias sub se species comprehendunt, Xenodochia, nosocomia, gerontocomia, brephotrophia, Leprosarias, Eleemosynarias, & ejusmodi loca alia, quæ à pietate vel fundatorum, vel eorum, qui in illis ministrant, loca pia vulgo dici solent. Et fuit jam inde à primis Christianæ Ecclesiæ principiis sollicita admodum de illis habita cura, qui vel morbo correpti, vel senio confecti, vel paupertate consumpti, vel parentibus orbi erant. Cui rei documento sunt stipes & eleemosynæ Christianorum magnâ cum devotione olim admodum liberaliter collatæ, tum verò imprimis ingentia ædificia, quæ cessantibus persecutionibus non à privatis tantum sed summis etiam principibus eam in rem extracta fuerunt. Laudatur Fabiola ab Hieronymo, quod prima omnium nosocomium instituerit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foveret. De Eudocia Augusta Theodosii Imperatoris filiâ refert Nicephorus *lib. 14. c. 50.* quod pauperum domicilium ædificaverit, in quo quadringenti sacro morbo correpti habitare possent, quodque insuper alias pauperum & viduarum domos condiderit, grandæque redditus nosocomiis destinaverit. Et de Pulcheriâ Theodosii sorore Sozomenus *lib. 9. c. 1.* quod plurima pauperum ac peregrinorum diversoria exædificaverit. Idem fecerunt alii tum Imperatores & principes, tum Episcopi, quorum nonnullos recenset Renatus Choppinus *de sacrâ polit. lib. 3. tit. 5.* Ipse Julianus Imperator Christianorum æmulus & osor xenodochia per singulas civitates in invidiam Christianæ pietatis constitui iussit. Uti constat ex *hystor. Trip. lib. 6. c. 29.* Quàm frequentia hodiernum ubiq; terrarum ista talia sint Hospitalia, notorium est, & in omnium, qui iter faciunt, conspectu, de quorum qualitatibus videri possunt, quæ scribit Jacobus à Vitriaco *in hystor. Occident. cap. 29.*

II. Quemadmodum autem ad officium Episcopi inter alia hoc etiam pertinet, ut pauperibus prospiciat, & singularem eorum curam habeat, uti non ab Apostolis tantum inculcatum subinde fuit, sed in Conciliis etiam quandoque repetitum, & imprimis in Concilio Aurelianensi *I. can. 16.* Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente suis manibus laborare non possunt, victum & vestimentum, in quantum sibi possibile fuerit, largiatur: ita dubium non est, etiam ædificia, quæ curæ ei destinata sunt, ad inspectionem Episco-

Episcopi pertinere. Præterquam enim, quod interfit Ecclesiæ, cui præest Episcopus, loca pia destinatis usibus adhiberi, nec defraudari fundatorum intentionem, disertè olim ita statuit Eugenius Papa c. 3. *de religios. domib.* De Xenodochiis & aliis similibus locis per sollicitudinem episcoporum, in quorum diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur. Et quanquam limitare hoc velit in annotationibus suis Carolus Molinæus, quod tum demum locum habeat, si auctoritate Episcopi loca ista constituta fuerint, id tamen si factum non fuerit excludere non potest visitationem episcopi, ut maximè eorum curatio plebeis competat, vel ea ipsa eximantur ab ordinariâ diœcesani præfulis potestate, uti commentatur Antonius Fabritius Bleynianus *de benefic. tit. de Xenodoch. num. 27.* Idque sufficit Episcopi huic juri sustinendo.

III. Præterea constituérunt jam olim Imperatores Christiani prochothrophia, Xenones seu Hospitalia, & alia talia loca pia frui debere privilegiis Ecclesiarum, ceterique conditionis Ecclesiasticæ, l. 33. C. de Episc. & Cler. Ecclesiastica autem quæ sunt bona, ad *ἱεροπύλω* pertinent eorum, qui Ecclesiæ regimen gerunt. Quomodo & Concilium Antiochenum permittit Episcopo *can. 25.* ut rerum Ecclesiæ potestatem habeat ad dispensandum in omnes egentes cum summâ reverentiâ & timore DEI &c. Imò verò, si exactè res examinetur, non aliam ob causam videtur bonorum Ecclesiasticorum cura commissa Episcopo, nisi ut primariò pauperum haberetur ratio. Nota est Prosperi Aquitani l. 2. *de vit. contemplativ.* sententia, *ecclesiasticas opes egenorum esse patrimonia.* Itemq; decretum Concilii Namnetensis c. 10. *Instruendi sunt presbyteri (& sic instructi esse debent Episcopi) pariterq; admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti. De quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu DEI, & nisi eas fideliter pauperibus & bis, qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros &c.* Inde factum, ut aliqui maluerint bona sua directò in pauperes distribuere, quam Ecclesiis destinare. Quà de re disceptatum à Chrysostomo refert Theodorus Balsamon *ad Constantinopolitani Concilii canon. 7.* *Quod si quis interrogaverit, inquit, utrum sit melius, offerre donum Ecclesiæ, an mendicis largiri, dic, præferendos esse mendicos. Quoniam quæ sunt Ecclesiarum, & tempus corrumpit & Tyranni auferunt: quæ autem data sunt mendicis, ne diabolus quidem auferre potest.*

IV. Cæterum non ædificia tantùm, & miserabiles personæ ipsæ Episcoporum inspectioni subjacebant, sed & ministerium præbentes, & quæ personis illis curandis inferviebant, id quod tamen sæpè ex aliâ simul causâ constitutum fuit. In urbe Alexandria, quæ ad seditiones quasi perpetuò proclivis fuit, ineunte seculo quinto tumultus sæpenumero excitarunt

Cleri-

Clerici parabolani curandi experiētiā nobiles, & ad curanda proinde debiliū corpora agra destinati, dicti ita, quod neglecto omni periculo, quod, si qua lues aut contagio grassaretur, imminere poterat, suāque salutis immemores medicinam exercebant. Eos cum perquam multi essent, & in publicis actibus sæpè terrorem incuterent, non aliter coërceri posse putavit Theodosius junior Imperator, quam si certum eorum numerum faceret, & directioni Episcopi Alexandrini subjiceret. Præstat ipsam ejus constitutionem adscribere, quæ extat in l. 18. C. de Episc. & Cler. Parabolani, qui ad curanda debiliū agra corpora deputantur, sexcentos constitui præcipimus, ita ut per arbitrium Viri reverendissimi antistitis Alexandrina Urbis de his qui antea fuerant, & qui pro consuetudinē curandi gerunt experiētiā, sexcenti parabolani ad hujusmodi sollicitudinē eligantur, exceptis videlicet honoratis & curialibus. Si quis autem ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in ejus locum pro voluntate ejusdem Sacerdotis subrogetur, ita ut hi sexcenti Viri reverendissimi Sacerdotis præceptis ac dispositionibus obsecudent, & sub ejus cura consistant &c. Medicinæ peritiā illis haud vulgarem fuisse constat ex eo, quod Ammianus Marcellinus scribit lib. 22. in fin. Ad commendandam artis peritiā Medico pro omni experimento sufficit, si Alexandria dixerit se eruditum.

V. De Clericis aliis, qui sacra facerent & cultui divino inservirent in ejusmodi Hospitalibus minus verisimile est, dubitari potuisse, utrum Episcopo diœcesano subjecti essent. Nihilominus tamen reperti fuerunt eodem seculo quinto, qui, quod certam non haberent parochiam nec titulum certum, & Hospitalibus ejusmodi, quæ ab Laicis hominibus fundata & extructa erant, operam suam addixissent, putarunt exemptos se esse ab inspectione Episcopi diœcesani. Eos vero ut reprimeret & in ordinem redigeret Concilium Chalcedonense, hoc edidit decretum can. 8. Clerici ptochotrophiorum monasteriorum & templorum martyrum, sub potestate Episcoporum, qui sunt in unâquaq; civitate, ex sanctorum patrum traditione permaneant, & non per arrogantiam se à proprio Episcopo subducant. Qui hanc autem constitutionem evertere ausi fuerint, si sint quidem Clerici, canonum pœnis subjiciantur; si autem monachi vel Laici, sint excommunicati. Per Laicos, quorum hic fit mentio, Zonaras in comm. intelligit illos, qui Clericis illis autores sunt, ut se ab regimine Episcoporum subducant, quive illos ita superbos & refractarios faciunt.

VI. Limitata tamen aliquando fuit in tali negotio potestas Episcoporum, & coërcita imprimis in eo, ne quid ex facultatibus Hospitalium suæ Ecclesiæ addicerent, aut in suos usus verterent. Illustre ejus rei exemplum præbet Xenodochium, quod Childebertus Rex cum Regina conjuge suâ Lugduni condidit, & talem immunitatem obtinuit in Concilio Aurelianen-

anenli V. can. 15. De Xenodochio verò, quod piissimus Rex Childebertus vel jugalis sua Utrogotbo regina in Lugdunensi Urbe inspirante Domino condiderunt, cujus institutionis ordinem, vel expensæ rationem petentibus ipsis, manuum nostrarum subscriptione firmavimus, visum est pro DEI contemplatione, junctis nobis in unum, permansura auctoritate decernere, ut quicquid prefato Xenodochio aut per supradictorum regum oblationem, aut per quorumcunque fidelium elemosynam collatum aut conferendum est, in quibuscunque rebus atque corporibus nihil exinde ad se quolibet tempore antistes Ecclesie Lugdunensis revocet, aut ad jus Ecclesie transferat. Ut succedentes sibi per temporum Ordinem Sacerdotes non solum aut de facultate Xenodochii ipsius aut de consuetudine vel institutione nihil minuant: Sed dent operam, qualiter rei ipsius stabilitas in nullam partem detrimentum, aut diminutionem aliquam patiat, providentes intuitu retributionis eterne, ut prepositi semper strenui ac DEUM timentes decedentibus substituatur, & cura egrotantium ac numerus vel exceptio peregrinorum secundum inditam institutionem inviolabili semper stabilitate permaneat &c. Solutum ita fuit & immune redditum Hospitalis illud à canonicâ portione, uti vocari solet, Episcopali, non verò ab omni prorsus inspectione & regimine Episcopi, quippe cujus interest propter hospitalitatem, quam exercere debet ipse, ut recte se habeant loca ista omnia.

VII. Jure igitur suo usus est Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quando admonet Ludovicum Germaniæ Regem, cum is ad occupandum Caroli fratris sui regnum venisset, ut Episcoporum inspectioni & directioni subjecta faceret Hospitalia. Sic enim ait in admonitione istâ, (quæ extat tom. 2. sub num. 4.) cap. 10. Hospitalia peregrinorum, sicut sunt Scottorum & quæ tempore antecessorum vestrorum Regum constructa & constituta fuerunt, ut ad hoc, ad quod deputata sunt, teneantur, & à Rectoribus DEUM timentibus ordinentur, custodiantur, & dispensentur, obtinete. Sed Rectoribus monasteriorum & Xenodochiorum, id est, Hospitalium, præcipite, ut sicut Canonica docet auctoritas & capitula avi & patris vestri præcipiunt, Episcopis propriis sint subjecti, & monasteria atque Hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio. Qui Episcopi paternam sollicitudinem eis secundum ministerium illorum studebunt impendere &c.

Aaaaa

CAP. XXIII.

## CAP. XXIII.

De Jure circa Scholas & informationem  
juventutis.

## I.

**J**ulianus Imperator, cum acerbissimas in Christianos inimicitias concepisset, & summam amaritudinem atque omnibus ingenii sui viribus adversus eos pertinacissime uteretur, ut religioni eorum detraxeret & noceret magis, omnem eorum liberis aditum ad gentilium Professorum Scholas ademit. Animadverterat namque, ex ejusmodi Scholis produsse inter Christianos viros disertissimos, & persuadendi facultate insignes, quam in Scholis istis parari existimabat, eamque in perniciem superstitionis gentilitiae applicari, nec posse ergo id evitari meliore successu, quam si Græcorum disciplinis Christiani prorsus prohiberentur. Urebant ejus animum, ait Sozomenus lib. 5. cap. 18. non mediocriter Apollinaris Syrus omni disciplinarum genere instructus, & Basilius Gregoriusque Cappadoces, qui cunctos illius temporis Oratores longè superabant, multique præterea disertissimi viri, quorum alii fidem Nicæni Concilii sequebantur, alii opinionem Arii erant amplexi. Nec destiterunt tamen Christiani ea, quæ jam didicerant, in suos usus vertere, & Græcorum libros, quantum fieri potuit, fidei suæ exprimendæ accommodare. Sic enim de Apollinari referre pergit Sozomenus: Denique ut compendio dicam, sumptis ex Sacra Scriptura argumentis liberalium disciplinarum brevi tempore lucubrationes composuit & numero & præstantiâ æquales iis, qui apud Græcos in eo genere celebres existere, seu genium, seu dictionem, seu formam, seu dispositionem operis spectes. Adeo, ut nisi homines antiquitatem venerari solerent, & ea maxime diligere, quibus assueverunt, Apollinaris libros æquè ac veterum illorum laudaturi essent ac discituri: eoque magis ingenium hominis admiraturi, quod veterum quidem singuli in uno tantum genere doctrinæ versati sunt: hic verò omnia complexus vim ac præstantiam uniuscujusque, ubi usus id postularet, expressit.

II. Putat quidem Cardinalis Baronius ad ann. CCCLXII. num. 289. Julianum Christianos omnes à docendo revocasse, non tamen prohibuisse adolescentes à discendo, eò scilicet quod Christiani docentes ex Gentilibus autoribus deorum inanem prorsus esse cultum argumentis pluribus demonstrabant; atque ita adolescentes à superstitione gentilium sensim avertabant, qui verò retineri in avorum suorum religione possent, si Gentiles auctores à gentilibus Doctoribus magno deorum præconio explicatos